



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 101. Quid adhuc egemus testibus? v. 66.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

quatenus homini mortali possibile est, & ut nunquam verbis, cogitatione vel facto te blasphemem, sed cognoscam te redemptorem meum & largitorem bonorum omnium & benedicam in sæcula sæculorum Amen.

§. 101. *Quid adhuc egemus testibus? v. 66.*

Quasi diceret, quid? ô Iudæi, quid querimus ultra falsos testes, ut circumveniamus eum, & occidatur? ipsius verba sunt nobis testes sufficientes ad mortem, dixit enim se filium Dei esse, & venturum in nubibus & iudicaturum omnes, atq; illa omnia tam verba, quam minæ deliria sunt, si ab alio dicerentur, cum vero à tali, qui se Magistrū veritatis iactat, serio dicta, in Deum blasphemia sunt, quid enim? Deus tam vilem, tam contemptum, abiectum que filium haberet? Quem nec secundum sæculum nobilis & potens suum esse vellet? Deus filium haberet carne & cætero humano habitu, passioni & morti obnoxium? Nequaquam, simile sibi generat, quisquis generat, &c. ergo ut blasphemator in Deum occidatur. Hæc Caiphas, sed quid turbatis, ô Caipha, ob dictum Christi quod sit filius Dei, nonne opera fecit Dei, quæ alius quispiam facere non potest? cur eum igitur occisum cupis? Ipsi falsi testes ad innocentiam eius pervertendam quæsit. Dei filium probant. considera opera quæ supra naturam fecit, quæ si mente sana, & sine felle meditatus fueris, invenies opera supra captum humanum, & per consequens, ipsum Christum esse plusquam hominem purum. Age igitur sedarius, linque furorem, noli hominem iustum, sanctum, innocentem hac de causa blasphemare & condemnare? memor esto quod in lege vestra scriptum sit ps. 81. 6. Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini &c.

**O** Caipha, Caipha, vere non eges testibus ubi malitia tua testes antecedit, distante tua conscientia, scis etenim Christum filium Dei esse, quem modo ita nequiter tractas innocentem; & non sequendo rectitudinē conscientia tua, sed quid agis, non times Deum? vere non erit opus testibus quando ipse veniet iudicare vivos & mortuos, tua te conscientia reum faciet & condemnabit tunc, quæ modo innocentem iudicem tuum nocentem & reum mortis condemnat. O Deus, quis mihi det, ut ita vivam coram te, ut distante mea conscientia securius aulam comparere in conspectu tuo, cum veneris iudicare sæculum per ignem, & ille liber conscientiarum nostrarum clausus aperietur, coram toto Mundo perlegendus.

§. 101. *Eccē nunc audistis blasphemiam quā vobis videtur. v. 66.*

O Caipha, quam precor blasphemiam audierunt impij Sacerdotes & Principes consiliarij tui, quia Christus se filium Dei nominat venturum iudicem